



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

XXXI. De peccatis in confeßione enumerandis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

O&ao;o pec-
cata prin-
cipalia.

Confessiones dandæ sunt de omnibus peccatis, quæ siue in opere, siue in cogitatione perpetrantur. Octo sunt principalia vitia, sine quibus vix ullus inueniri potest. Est enim gastrimargia, hoc est ventris ingluies; secundum, fornicatio; tertium, acedia, siue tristitia; quartum, auaritia; quintum, vana gloria; sextum, inuidia; septimum, ira; octauum, superbia. Quando ergo quis ad confessionem venit, diligenter debet inquiri, quomodo aut qua occasione peccatum perpetraverit quod peregisse confitetur; & iuxta modum facti debet ei poenitentia indicari. Debet ei persuaderi ut de peruersis cogitationibus faciat confessionem, & nominatim debet ei sacerdos unum quodque vitium dicere, & suam de eo confessionem accipere.

XXXII.

Matth. 25.
Ioas. 6.

Esurientes satiandi sunt, sitiens potandi, nudi operiendi, infirmi, & qui in carcere sunt, visitandi, & hospites colligendi, dicente Domino: *Esuriui enim, & dedisis mihi manducare, &c.* nam hæc omnia & in se quisque debet specialiter agere, & in aliis temporaliter adimplere, quia pene nihil possunt hæc omnia proficere ad vitam æternam capessendam, si luxuriose, superbe, inuide, & (ne singula replicem) si vitiose & inordinate quis viuat, & ceteris bonis operibus non vacet: qui ergo videt se Christum non habere, qui dixit: *Ego sum panis viuus qui de cœlo descendit, & caritatem quæ est pastus animæ non habet, esurit quidem: sed si semper bona opera Christo adiungit, & caritatis se dulcedine replet, esurientem omnino semper pauit: qui se vidit doctrina Spiritus sancti, & scripturarum sanctorum fluentis carere, sitiens est: sed si se fluentis verbi Dei irriget, & mentem suam spiritalis poculi dulcedine inebriet, iste se sitientem potauit; qui induit se iustitia sine ceteris virtutibus, nudum se procul dubio vestit, si in lecto vitiorum suorum iacet, & morbo iniquitatis suæ laborat, & funibus peccatorum suorum constrictus est, & vitiorum obsitus pariete, & in tenebris iniquitatis suæ est, infirmus quidem est: sed si de lecto vitiorum per confessionem egreditur, & per poenitentia lamenta vinculis peccatorum absoluitur, & ad lu-*

cem